



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

7. Exemplum multum valere ad obtinendam disciplinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

ciat, quia ad seruiendum spiritui datum est. Nec sic habendum est tanquam propter illud viuamus: sed tanquam sine quo viuere non possumus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quandoque volumus, abrumpere possumus: sed legitimam eius resolutionem patienter nos expectare oportet: & interim quæ legiti- mi fœderis sunt, obseruare. In eodem dicitur de nouitio: Docendus est sic habere corpus suum, sicut egrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda: sic agere de eo, sicut non de suo, sed eius à quo pretio magno empti sumus. In eodem: Docendus est cauere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: Proiecisti me post corpus tuum. Ezechielis 23. Multumq; cauendum, ne pro necessariis vitæ huius vel commodis, à proposito rectitudine, vel dignitate naturæ, in amorem corporis sui finat in aliquo aliquando degenerare spiritum suum.

*Quodd exemplum multum valet ad obtinendam
disciplinam.*

CAPVT II.

EXemplum multum valet ad obtinendam disciplinam. Maioris efficaciam est exemplum quam verbum. Seneca. Longum iter per verba: *Epist. 6. post medium.* breue & efficax per exempla. Efficacior est vox operis, quam vox sermonis. Verbum ostendit quid fieri debeat: exemplum ostendit quomodo fieri valeat: & ad operandum animat, & operantem

D 5

rantem

rantem confortat. Hugo de sancto Victore: in bonis similitudinis Dei forma expressa est: & idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad eius similitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed sciendum est, quòd sicut nisi cera priùs emollita fuerit, formam non recipit; sic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam actionis non flectitur, nisi priùs per humilitatem ab omni elationis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius aliquando poterit in melius transformari, qui adhuc per elationis vitium & bona aliena oppugnat, & sua mala defendit. Necesse est ergo, vt si bonos veraciter imitari velimus, per veram humilitatem ad obedientiam corda nostra præparemus: quatenus mens nostra tantò citius ad nouitatem redeat, quanto promptius in omnem quam viderit virtutis speciem, per voluntariam obedientiam se inclinat: & tanto altius ei vestigium bonitatis incipiat inhærerere, quanto arctius studet bona aliorum imitari potius quàm carpere. Cere calefactæ imago sigilli facillè imprimitur. Accendendi sunt qui in religione sunt, ad Dei amorem, & ad desiderium deponendi vitæ vetustatem, & assumendi vitæ nouitatem: vt exempla bona ad eorum firmationem proficiant. Ad accendendum verò ipsos multum valet verbū Dei. In Psal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Item eloquium Domini inflammavit eum. Omnis sermo Domini clypeus ignitus est. Clypeus quia defendit à malo. Ignitus quia accendit ad bonum. Nunquid non verba mea quasi ignis? Et sicut exemplū bonum ad obtinendam
disci-

Psal. 118.

Pra. 26.

disciplinam multum valet, sic exemplum malum multum nocet, maximè in illis in quibus viuit amor seculi, emolliens eos vt deformitatem seculi facillè recipiant. Ideo in aliquibus claustris disciplina non obtinetur: quia quod doctrina suadet, exempla dissuadent. Verbo homines diriguntur ad salutem: manu impelluntur vel trahuntur ad damnationem. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? Eccl. 34.

Quod ad obtinendam disciplinam multum valet frequens inspectio operum, & quotidiana examinatio.

CAPVT VIII.

Multum valet etiam ad obtinendam disciplinam, si is qui in religione est, quotidiana discussione cogitationes, locutiones, simul & facta sua apud semetipsum examinet, sollicitè attendens non solum quid agat, sed etiam qua intentione illud agat; frequenter cogitans, an quod faciendum est faciat: an bono operi malum aliquod admisceat: an quod agit, quanta oporteat diligentia adimpleat: an alterius bonum vt suum diligat: & si suum malum vt alterius malum reprehendat. Per singulos dies ad iudiciū vitam suam vocare debet. Manè considerare quid egerit per noctem: in vespera quid egerit per diē. Si quid ex his quæ agenda erant diligenter, neglexerit: aut si quid ex his quæ agenda non erant, presumpserit: & si in aliquo opere insidiis inimici supplantatus fuerit, excogitare qualiter fraudē illius futurā cauere possit: iuxta cohortationem Apostoli, semetipsum debet sollicitè custodire; & ve